

menfuratione occurrunt, quorumq; ufus eft in Architectonica Militari, in Opticis, &c.; talia etiam Triangula quotidie fieri videmus à Gnomonibus in Horologijs Sciothericis Planis, & à corporibus noftris, in quibus Gnomon perpendiculariter erectus, aut corpus humanum, eorumq; umbræ vicem cruris minoris majorisq; fubeunt; radius verò à latere Gnomonis vel Hominis ad Terminum usq; Umbræ, Hypotenufam notat.

## CAPUT II.

De

LINEIS RECTIS, EARUMQUE  
*mutuis concursibus.*

Latera Trianguli Plani funt Lineæ Rectæ.

Lineæ Rectæ funt tales lineæ, quæ ex æquo & directè protenduntur inter fua extrema.

**O**Mnes fpecies linearum hîc percenfere & fupervacuum & ineptum efferet, cum Trigonometria tota non nifi rectas & circulares agnofcat fuas; illas pro Planis, has pro Sphæricis Triangulis. Reliquæ ergò jure fuo aliò ablegantur, unà cum Definitionibus harum, quæ varia apud Autores funt, & à Clavio in Commentarijs Euclidæis fatis exquisitè recenfentur, unde, qui harum rerum cupidus efferet, eas petat. Mihi hæc defcriptio lineæ Rectæ captui cujusvis fatis videtur commoda. Dum enim directam inter extrema puncta protentionem urgeo, removeo omnem, citra vel ultra, fupra vel infra illam directionem, delirationem & exorbitantiam. Instrumentum verò pro ejusmodi directo lineæ ductu ab artificibus excogitatum efferet id, quod Regulam vel Amuffim vocamus, quo & Mechanici vulgò ferè omnes utuntur. Hujus fabricam, & quomodo examinari debeat, num rectè ad ufus præparatum fit, oftendit idem Clavius. Ejus vicem in agrimenforiâ quid fuppleat,